

**De balneis infantum dissertatio, adnexa buprestis descriptione ... /  
[Johann Hotz].**

**Contributors**

Hotz, Johann.  
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.  
Universität Tübingen.

**Publication/Creation**

Tubingae : Litteris Erhardianis, [1758]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/mvfm2d2v>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DE  
BALNEIS INFANTVM

DISSERTATIO

ADNEXA

BVPRESTIS

DESCRIPTIONE

CVM TABVLA AENEA.

QVAM

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

IO. CAROLO LVDOVICO

COMITE PALATINO RHENI,

VTRIVSQVE BAVARIAE DVCE rel. rel.

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

GEORGIO FRIDERICO SIGWART

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE, CHIRVURGIAE

ET ANATOMIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO,

MEDICO AVLICO WIRTEMBERGICO, FACVLTATIS

MEDICAE SENIORE, EIVSDEMQUE DECANO

SPECTATISSIMO

PRAECEPTORE SVO PIE DEVENERANDO

PRO

DOCTORIS MEDICINAE GRADV

PVBLICE VENTILABIT

AVCTOR

IOANNES HOTZ,

TIGVRO - HELVETVS

DIE XXVIII. IAN. MDCCLVIII.

TVBINGAE, LITTERIS ERHARDIANIS.



A. F. W. P. I. S. - I. H. A. W. T. V. M.

B. I. S. S. E. R. T. A. T. I. O.

A. D. M. D. C. C. C. C. C.

B. V. L. P. H. E. S. T. I. S.

D. E. S. T. I. N. A. T. I. O. N. E.

C. V. M. T. A. B. V. L. A. A. E. N. E. A.

O. T. A. M.

H. I. S. T. O. R. I. C. U. M. U. N. I. V. E. R. S. I. T. A. T. I. S. M. I. C. H. I. N. I. C. I. N. T. I. S. S. I. M. O.

S. E. R. M. O. N. I. S. M. O. N. I. S. A. C. C. O. M. M. O. N. I. S.

D. O. M. I. N. O.

C. A. R. O. L. O. S. I. D. D. O. V. I. C. O.

C. O. M. I. T. T. E. S. T. I. S. S. I. M. O.

T. R. I. B. U. N. A. L. I. S. S. I. M. O.

T. R. A. T. A. T. I. O.

C. O. M. I. T. T. E. S. T. I. S. S. I. M. O.

F. R. I. D. R. I. C. H. S. I. G. W. A. K. T.

M. I. C. H. A. E. L. I. S. S. I. M. O.

M. I. C. H. A. E. L. I. S. S. I. M. O.

M. I. C. H. A. E. L. I. S. S. I. M. O.

M. I. C. H. A. E. L. I. S. S. I. M. O.

M. I. C. H. A. E. L. I. S. S. I. M. O.

C. O. M. I. T. T. E. S. T. I. S. S. I. M. O.

T. R. I. B. U. N. A. L. I. S. S. I. M. O.

A. T. T. O. R.

I. O. H. A. N. N. E. S. H. O. T. S.

T. R. I. B. U. N. A. L. I. S. S. I. M. O.

M. I. C. H. A. E. L. I. S. S. I. M. O.

M. I. C. H. A. E. L. I. S. S. I. M. O.





§. I.

Instituti Ratio.



a est hominis imbecillitas, ea fragilitas, ut ne tum quidem, quum in utero adhuc inclusus materno delitescit, à morborum insultibus immunitatem sibi queat polliceri. Non mitiorem experitur sortem, quando ex isto tandem carcere emissus, in hunc terrarum orbem devolvitur. Novum heic planè, & à priori longè diversissimum, idque non sensim, sed repente, init vivendi modum. Aquis antea immerfus, aëris nunc flumine circumdatur. Quanta mutatio! Novæ, eademque numero pane majores





res undique adfluunt morborum cauffæ: intrant, inveftiunt laxius corpusculum innumera malorum feminaria. Haud malè igitur profecto fuam in collocare cenfendi funt operam, qui de remediis morborum, in ætate infantili ultro evolvendorum, radices tam prophylacticè, quam therapeuticè præfcindentibus, data, quod ajunt, opera folliciti funt. Varii autem generis effe hæc remedia, & à variis varia commendari, vel ei, qui a limine dumtaxat medicam falutavit artem, ignotum effe nequit. Reddenda igitur eft à nobis ratio, cur in edendo Specimine hoc academico, poft habitis cæteris, *Balnea* præcisè noftra confideratione digna judicaverimus. Externis, quæ vocantur, remediis maximum apud veteres pretium ftatutum, præfentiffimaque falutis præfidia in iis quæfita fuiſſe, a) nemo ignorare poteft, niſi qui ignorat litterarum beneficio ad nos tranſmiſſa monumenta omnia. At mutata funt tempora, hodieque, quæ communis eaque juſtiſſima peritiſſimorum in arte noſtra virorum eft querela, illorum vel nulla, vel exigua certe habetur ratio, ſupinusque, ut limiſſimo utamur vocabulo, ubique locorum dominatur neglectus. Scilicet is eft hujus, quod vivimus, sæculi genius, ut plerique, vetera, & antiqua omnia alto deſpicientes ſupercilio, nihil, niſi quod novitatis habet ſpeciem mirentur, ſummisque extollant laudibus, parum de cætero, quo id

a) Fuſius de horum utilitate commentatus eft, cel. HUNDERTMARK, *Præceptor noſter* piè devenerandus in egregiâ Diſſertatione de ſingulari uſu *frictionis & unktionis in Curatione morborum*, Lipſiæ 1740. edita.





jure, quaque injuria fiat, solliciti. Triste hoc fatum præter cætera quoque experta fuerunt *Balnea*. Quæ verò quum externa inter remedia, ea maxime, quæ ad præcavendos curandosque infantum morbos faciunt, haud postremum suo sibi jure vindicent locum: æquis omnino oculis adspici nequit, ea hodie vulgo tam incuriosè, tamque neglectim haberi, ut verendum sit, ne obsoletorum remediorum in hisce nostris regionibus tandem evadant obsoletissima. Pristinam itaque eorum ut quodam, si fieri possit, modo instauremus dignitatem, id negotii est, quod qualicumque hac scriptione datum nobis esse credidimus: ubi quidem impense nobis gratulabimur, si, conatum hunc nostrum æquis justisque rerum arbitris non omnino displicuisse, intellexerimus.

## §. II.

### Cutis historia, anatome, nexus cum partibus internis.

*Balnea* ex remediorum externorum numero esse diximus. Externum remedium vocatur illud, quod alio, quam deglutitionis modo, corpori vivo adplicatur: ubi potissimum occurrunt ea, quæ integumentis communibus, sive generali illi involucro, corporis nostri limites circumscribenti, adplicantur. Haud alienum igitur erit, de organi hujus historia, compage nexuque cum partibus internis nonnulla præmittere, ac reliquo sermoni quasi præ-





munire; ut eo dilucidius postmodum intelligantur modus agendi & effectus, quibus conspicua esse *balnea*, fumus demonstraturi. *Cutis* est contextus telæ cellulosæ densior, magis compactus, intricatissimis mirificeque sibi invicem intertextis constans fibrillis; perreptant eam arteriæ plurimæ, venæ copiosæ, nervi uberrimi. Interior cutis superficies cellulosa, laxiori sensim facta fabrica, adhæret subjectis partibus, nominatim musculus, plerisque in locis adipe plena, ideoque quibusdam sub *membranæ adiposæ* peculiari nomine venit. *b)* Exteriori corporis superficiei circumponitur *Epidermis* sive *Cuticula*, in quam nerveæ, quas MALPIGHIVS vocat, papillæ, oscula arteriosa exhalantia, & venosa inhalantia seu resorbentia ex cute transeunt. *Epidermis* hæc densior est, callosa quasi, valdè compacta, macerationi diutissimè resistens, squamosa, neque vasculis, neque nervis conspicua. Determinat oscula vasorum angustata, & quasi callosa facta, in superficie totius corporis innumera, quæ *pororum* cutaneorum nomine veniunt. *c)* Interiori *Epidermidis* superficiei adnectitur, cutique contiguum est *corpus*, sic dictum, *mucosum*, sive fabrica quædam mollis, pulposa, vasis destituta, vix organici aliquid exhibens, sed muco concreto potius ex Illustris HALLERI *d)* sententia, analoga, foraminulis, dicta supra

*b)* BOERHAAVE §. 416 -- 425.

*c)* Horum adeo stupendus est numerus, ut LEEUWENHOEK adferat 125000. tegere arenulæ granum.

*d)* Vid. ejus prim. lin. Physiolog. §. CCCCXXVII.





pra vasa transmittentibus, & alveolis, papillas recipientibus, ubique scatens: hanc ob causam *corpus reticulare MALPIGHII*, ab Inventore; *subcuticulare RVYSCHIO* audit. Ad Cutis historiam referendæ porro sunt *glandulæ sebaceæ*, seu *folliculosæ* cuti subjacentes, ductu excretorio præditæ, qui cutem perforat, & epidermidi oleosum, aliis in locis magis unguinosum, adfundit smegma, illamque illinit: copiosiores sunt hæ glandulæ iis in partibus, quæ aëri libero magis expositæ sunt, ut in facie, vel quæ majorem patiuntur frictionem, ut in inguine, sub alis, circa pudenda, & oris labia, & quæ sunt hujus generis alia. Sunt, qui habitum hunc folliculosum in tota corporis peripheria inveniri contendunt, licet anatome hoc non demonstret, ex analogiâ tantum, & fordibus, ex omni cute prorepentibus, id colligentes, quas verò per proprios suos poros ex ipsa pinguedine exfudare, probabilius esse videtur. Superfunt adhuc in recensenda cutis historiâ, quatenus ea ad nostrum spectat propositum, *pili*, qui per omnem fere cutem, sola nempe vola, & planta exceptis, disseminantur, quorum in transpiratione adjuvanda insignem esse usum, omni caret dubio. Exhalare apices, & fortassis integrum canalem, declarant eorum fabrica, e) morbus qui *plica polonica* dicitur, striæ luminosæ, ex omni superficie, si in obscuro loco fricantur animalia, nomi-

e) Cel. POZZIVS in Seta porcina detexit valde exigua foramina, per quæ exfudat medulla.





nominatim Feles, exeuntes, cet. *f*) Evincunt hæc hætenus adducta, fabricæque simplicitas, ea cutis officia, quæ nos maxime urgemus, *exhalationem* nempe & *resorptionem humorum*. *Exhalatio* extra omnem controversiæ aleam posita est. Demonstrat eam quotidiana experientia, qua animalia, aëri frigido exposita, exhalare videmus, humoribus per frigus in vapores coactis. Tacemus institutum ab immortali BOERHAAVE experimentum, ubi brachium, vasi vitreo immissum intra horæ quadrantem ita exhalavit, ut liquidum stillatim decideret. Præterimus cel. RVYSCHII observationem in muliere, cui catamenia per cutem exsudabant; innumera alia, imprimis laboriosa à SANTORIO, qui primo heic loco debebat nominari, instituta circa hanc rem experimenta. Non æquè in aprico est *resorptio* sive *inhalatio* humorum tametsi jam olim HIPPOCRATES rei veritatem agnoverit: „Totum corpus fa-  
„ni hominis foris introrsum perspirabile esse; & alio loco:  
„alimenta ab externa superficie, ad interna pervenire „  
adferens. Nec latuisse dicitur hæc corporis adfectio PARACELSUM, qui homines per complures dies nutraverit, solis admotis ad nudum corpus liquidis embammatibus. *g*)

Cathar-

*f*) Conf. Comment. Societ. Scient. Gætting. Tom. II. pag. 368. LAVRENT. VVITHOFII anatome pili humani, & cel. KNIPHOFII Dissertatio de pilorum usu.

*g*) His tamen, qui hoc, cum cæteris infra adductis Italorum experimentis suspecta habent, haud magnopere refragamur. Sed quid inde? Reliqua quæ adducimus, firmo stant talo, omnique omnino exceptione majo-





Cathartorum, externè abdomini applicatorum, virtus, urinæ à therebintina manibus tractata odor, ebrietas à nicotiana, extus admota, oriunda, Cantharidum tristissimi sæpe in vias urinæ, & universum sanguinis systema effectus, rem hanc ita ad liquidum perducunt, ut, quo jure ea negari, vel in dubium vocari possit, ego planè non videam. Illi, qui transitum horum omnium per inorganicos, quos vocant, Cutis poros statuunt, contrariæ sunt frequentissimæ illæ observationes, in quibus mercurius, frictionis ope intrusus, in dentium radicibus, intimisque ossium medullis fuit repertus: quo ipso luculenter, opinor, probatur, mercurium per venas ad cor & arterias ductum fuisse. Italorum denique, si quidem vera sunt, experimenta, circa electricitatem instituta, quibus v. g. alvum duxerunt electrifatis, postquam cathartica cylindro, ad elicendam electricitatem præparato, immiserunt, rei veritatem ulterius illustrent, & ad summum certitudinis evenerunt gradum.

### §. III.

## De balneis generatim.

Præmissis hisce, ad principale nunc progredimur commentationis nostræ objectum, hoc est, ad *balnea*. Horum, uti jam §. I. innuimus, usus apud veteres vigeat frequenter.

Jure igitur usurpare possumus illa *Hecuba* verba apud MARONEM

*Non tali auxilio, nec defensoribus istis  
Tempus eget.*





frequentissimus. Arabes, Græci, Romani, Germani ea adhibebant ad conservandam sanitatem, ad removendos morbos. **PLINIUS** *b)* frigida præcipuè robur solidorum augeri, & diapnoën servari adferit. Idem *i)* balnea ad longam vitam facere contendit, vereque contendit, quum ariditati solidorum, unde inter alia mors naturalis existit, optime medeantur, seniumque, & mortem hoc pacto remorentur. **GALENUS** *k)* balnea moderatè calida eo potissimum nomine commendat, quod madorem solidis immittant, plenitudinem discutiant, tenfas partes molliant, excrementa, si qua intus cuti adhærescant, eliciant, & febribus exsiccantibus, quæ inprimis immodicam sitim excitant, conducant. Idem *l)* nihil esse adfirmat, quod acri occupatos æstu præsentius refrigeret, aut magna adfectos frigiditate promptius calefaciat balneo aquæ dulcis, moderate calido. **CELSUS** *m)* duplicem laudat balneorum usum, dum modo discussis febribus, initium valetudini faciant, modo febrim ipsam tollant. „In febribus, quæ certum circuitum habent, duo, inquit, balnei sunt tempora; alterum ante horrorem, alterum febre finita. „ ubi, quibus in morbis porro proficua sint balnea, adjicit. **ORIBASIVS** *n)* balnei frigidi vim ad conciliandum somnum

*b)* Hist. nat. L. XXV. Cap. VII.

*i)* L. XVIII. Cap. III.

*k)* Libr. III. de tuenda sanitate.

*l)* L. V. de usu partium.

*m)* L. II. C. XVII.

*n)* L. IX. Collect. Cap. VII.





num maximam esse deprehendit. Inter omnes balneorum usu excefferunt Romani, quibus voluptati erant, ita, ut eorum deliciae nullo in opere luxuriosius spectabantur, quam in magnificis balneorum fabricis. *o*) Nec hodie in Galliâ potissimum suis penitus destituuntur præconibus balnea. Evolvi nuper Quæstionum medicarum, in Scholis Facultatis medicæ Parisiensis agitatarum feriem chronologicam, à Cl. BARON 1752. editam, ibique, in quam plurimis, atrocissimis etiam, morbis usum eorum fuisse commendatum inveni; v.g. in Elephantiasi à PH. HARDOVIN de S. Jacques. *p*) In febribus à CLAUD. CHARLES, *q*) IOH. MAVRIN, *r*) PH. MATHON *s*) & CAR. MARTEAV. *t*) In ileo à FRID. DE FRANÇOIS. *u*) In furore uterino à GUID. PATIN. *x*) In lue venerea à NIC. MATHIEV. *y*) In volvulo à FAB. PERREAV. *z*) In rheumatismo ab IOH. FR. LEAVLTE. *a*) In syphilide à PAUL. MATLOT. *b*) In variolis denique, à IAC. RENAVT

- o*) Conf. quæ VITRUVIVS habet de Architectura L. V. Cap. X.  
*p*) Qu. an elephantiasis balneum? adf. 1600. fol.  
*q*) Qu. an febris balneum? adf. 1616. fol.  
*r*) Qu. an febris balneum? adf. 1660. fol.  
*s*) Qu. an intermittenti tertianæ contumaci balneum? adf. 1667. 4.  
*t*) Qu. an febris hæcticæ balneum? adf. 1698. 4.  
*u*) Qu. an ileo balneum? adf. 1625. fol.  
*x*) Qu. an *μυηρομανία* balneum? 1627. fol.  
*y*) Qu. an in Curatione luis venereæ balneum? adf. 1639. fol.  
*z*) An volvulo balneum? adf. 1659. fol.  
*a*) An rheumatismo balneum? adf. 1726. 4.  
*b*) An in curanda Syphilide balneum ptyalismo præferendum? adf. 1668. 4.





NAV T c) & IOH. CLAVD. MVNIER. d) Plures, qui suis balnea extulerunt laudibus, eximiamque eorum adstruxerunt utilitatem, authores nosse, cui volupe est, adeat Bibliothecarum medicarum compilatores, qui vel adpetentissimi hominis desiderium poterunt sedare. Nos ad alia pergimus, subjungentes pauca de iis, quæ balneorum usum in universum tangunt. Constat nempe de omnibus ac singulis, quod statim insignem corpori adferant mutationem, ex sola quoque aquæ specifica gravitate, aëris gravitatem octingentis vicibus superante. Superficies Corporis magnam inde compressionem sustinet, sanguis à peripheria versus interiora urgetur, vasa verò resistentia in sanguinem novo agunt impetu, hinc progressus sanguinis in universum augetur, vasa obstructa aperiuntur, diuresis movetur, cutis à fordibus liberatur, humores diluuntur, resolvuntur e) transpiratio promovetur, & sudor provocatur.

#### §. IV.

- c) Qu. an variolis, à fuso largiter sanguine, ægre minusve erumpentibus balneum? adf. 1670. 4.
- d) Qu. an variolis balneum? adf. 1745. 4.
- e) Resorberi humida, corpus ambientia, per venarum cutanearum oscula §. præc. demonstravimus: idem in balneis fieri observavit KAAVW, quum corpora in iisdem constituta sæpe subito turgeant: eadem est sententia Cl. de GORTER de perspiratione insensibili pag. 41. KAAVWIVS porro animadvertit cadavera, in aquis natantia intumescere rel. Qui plurima de his rescire cupit, adeat BOYLEI Tantamen porologium, Lond. 1684. editum. Urina in balneo copiosior excernitur, quametsi insignis per sudorem humorum quantitas in auras abeat. In plantis res est manifestissima.





## §. IV.

## Balneorum Differentiæ.

Balnea sunt vel sicca, laconica dicta, vel humida, ad quæ referuntur quoque vaporosa: frigida, vel calida; simplicia, vel composita; porro vel naturalia, vel artificialia; vinosa; aquosa; ea, quæ herbarum, & radicum decocta excipiunt; quæ scoriis metallorum imprægnantur; quæ ex aqua fluviali, cum furfuribus decocta, & lacte temperata, componuntur; alia: quod si conspiciamus modum applicandi balnea, variæ itidem emergunt eorum differentiæ. Sic balneum stricto sensu dicitur, ubi omne fere corpus; semicupium autem, ubi non nisi dimidia pars illius à balneo excipitur. Dantur præter hæc etiam balnea particularia, verbi causa, pediluvia, maniluvia, capitiluvia, nec non lotiones, spongiarum, atque pannorum madefactorum ope institutæ, quas balneis adnumerare eo minus dubitamus, quo certius est, quoque exploratius, eosdem, quos balnea spondent, ab iis expectandos esse effectus. Positis his per se jam patet, non eandem omnium balneorum esse virtutem, sed varia varie etiam operari: singulorum igitur nunc effectus singulatim erimus consideraturi.

## §. V.

## Balnea calida.

Balnea calida sunt vel sicca, seu laconica, vel humida: illa fortius humidis operantur, sudores eliciunt uberrimos,





corpusque magis exsiccant; humores, etiam spissiores sanguineos, ad vasa cutanea adliciunt; id quod vel hinc obscurum esse nequit, quod, qui in iis sudori nimis indulgent, sæpius erysipelate corripiantur. Hæc, humida nempe balnea, simulque tepida aquæ dulcis valdè humectant corpus; cutem scabram corrigunt; ad tollendam siccitatem, & acrimoniam conducunt; molliendo, laxando cutem tensiones leniunt; poros aperiunt; humores ab interioribus ad cutis peripheriam propellunt; sanguinem calefaciunt, rarefaciunt, unde vasa extenduntur; circulationem humorum augent, & æquabilem reddunt; pulsum plenum, durum efficiunt; obstructions recens natas resolvunt; febris aliquam speciem procreant; spasticas stricturas eodem modo tollunt; ad blandum somnum invitant, ipsum denique soporem inducunt. Sic vini, & opii vires imitantur; medicamento cardiaci securioris vices gerunt. *f)*

## §. VI.

### Balnea frigida.

Sub frigore constringuntur, atque constipantur corpora; frigida igitur balnea contrahunt, roborantque laxiores fibras; humores primum ab externis magis ad interiora, nominatim ad canalem intestinorum repellunt, atque ita,  
laxando

*f)* Conf. quæ plurimis confirmata observationibus hac de re leguntur in den Edinburgischen Versuchen und Bemerkungen, Vol. V. pag. 1132.





laxando eundem, & humectando, pertinacissimas sæpe, omniaque alia remedia respuentes tollunt obstructiones. g) Anodyna sunt, uti vesicatoria, & scarificationes, dum non ipsam quidem doloris causam tollunt, sed, novam, vividam, & ingratam nervis cutaneis inducendo sensationem, priori illi aliquid detrahunt, eamque mitigant. Sudores præterea colliquativos in febribus acutis felicissimo sæpe sistunt eventum; diuresim promovent; colicas flatulentas curant; hæmorrhagias cohibent; rel. sed hæc omnia cæteris paribus, iusta, certa que sub indicatione adhibitis.

## §. VII.

### Balnea composita.

Balnea composita vel sunt naturalia, vel artificialia; naturalia Thermarum nomine veniunt, proque partium, quas secum vehunt, vel metallicarum, vel salinarum, vel sulphurearum diversitate, diversis agunt modis: artificialia sunt v.g. vinosa; item ea, quæ ex metallorum ferri imprimis, parantur scoriis: exferunt hæc suam virtutem roborando, leniterque adstringendo. Quæ ex veneris scoriis conficiuntur lenissimam insuper præstant vim septicam; commendantur hinc in morbis cutaneis, scabie, achoribus, cet. Balnea artificialia ea, quæ vires suas ab herbis,

&

g) Duo hujus rei exempla illustria legere licet loc. cit. p. 1165 -- 1177.





& radicibus acceperunt mutuas, pro ingredientium virtute, roborando, molliendo, abstergendo, operantur.

### §. VIII.

## Cautelæ quædam, circa balneorum usum adhibendæ.

Expositis balneorum differentiis potissimis, dabimus jam cautelas aliquas, in illorum usu observandas; antea, quam adhibetur balneum, instituenda est ventriculi, & intestinorum evacuatio, ne, agitata ab eo, humorum saburra per corpus distribuatur. Adhibenda est hæc cautela potissimum in infantibus recens natis, quorum intestina meconium *b)* onerat, & quibus purgans medicamentum a natura datum est, omnibus, quæ arte parari solent, maxime præferendum; lac puta primum, quod statim à partu in matris mamma conficitur, tum temporis fluidum ferosum ac tenue potius, quam lac ipsum, dicendum, quod duplicem maxime præstat usum; abstergendo nimirum impuritates, in primis viis collectas, nec ventriculo tamen  
ejusque

*b)* Cl. BROUZET dans son *Essai sur l'éducation medicinale des enfans & sur leurs maladies*, Paris. 1754. Vol. I. pag. 88. meconium pro critica habet evacuatione, qua febris inflammatoria erysipelacea terminatur, quam omnes infantes ex calido, humidoque utero in aërem multo leviolem multoque sicciorem nunc translati, experiantur; ideoque magno hanc evacuationem commendat opere, &, nisi sua fluat sponte, supposito-rii ope, promovendam esse suadet.





ejusque nervis vel tantillam faceffendo moleftiam. i) Pro balneo ipfo eligenda eft aqua pura, levis, fubtilis, fontana, vel fluviatilis, facile incalefcens, olera, herbas, legumina promte recludens, utpote quod aquæ penetrabilitatem indicat. Ratio quoque habenda eft temporis, quod matutinum, vel à pafu diftantiffimum, inteftinis à fœcibus magis liberatis, adcomodatiffimum eft. Infantes ante lactationem, & e fomno expergefæcti optime lavantur, & quidem, ut AVICENNA præcipit, conveniens eft, ut infans bis de die vel ter, ordinariè tamen non diutius lavetur, nifi quoad corpus ipfius calefiat. Expedit, non repente immittere totum corpus, fed fenfim, primo pedes, deinde femora, poftea abdomen, ufque ad cordis fcrobiculum, donec ipfum tandem mentum attingat unda. Durante balneo, fervandus eft æqualis aquæ calor, qui cum naturali corporis calore idem, maxime quoque convenit; & ab omni frigore follicite cavendum, ne halans & aperta cutis contrahatur, humorum excretio cohibeatur, & febris ad interiora

i) Voyés Mons. BERMINGHAM *Manière de bien nourrir & foigner les enfans nouveaux-nés. Paris. 1750.* qui vehementiffime ubique invehitur in matrum duritiem, tenellis fœtibus adeo falubrem, ex propriis mammis ftillantem victum, denegantium. „Quelle obligation; inquit inter „alia; une mère veut elle, que fes enfans lui aient, pour les avoir „conçus, & mis au monde? elle a fait l'un pour fon plaifir, elle a „fait l'autre par neceffité, mais, qu'elle les eut allaités, ce feroit un „bienfait de fon choix, dont ils pourroient, & devroient lui tenir „compte.„





riora versa, inde oriatur. Post balneum mollibus pannis deficcetur, extergatur, & fricetur corpus, stragulis nunc subjiciendum, ut lenis transpiratio adhuc aliquamdiu succedat, quæ ipsa jusculo, infuso, decoctove convenienti adjuvetur. Multas adhuc, easque utiles circa infantum balnea cautelas addit OMNIBONVS FERRARIVS. *k)* „Pe-  
 „ctus, inquit, infantis, non tangendo ventrem, manu  
 „sinistra nutricis sustinendum est, in concha satis magna,  
 „aqua plena, & manu dextra, vel alienis manibus postea  
 „leniter abluatur, ita ut omnes sordes, quæ in collo  
 „sunt, & concava loca, sicuti sunt axillæ, & inguina,  
 „diligenter extergantur.“

### §. VIII.

## Balneorum necessitas apud infantes in genere.

Specialius nunc agendum est de balneis infantum. *l)*  
 Homo, embryo adhuc, immerfus est balneo naturali, li-  
 quori puta amnii, a membrana, proxime ipsum ambiente,  
 &

*k)* *De arte medica Infantum, Brixie 1577. L. II. Cap. VII.*

*l)* Cl. BROVZET. quem supra jam laudavimus l. c. p. 128. crebram infantum abluitionem nobiscum commendat, at aliam, neque adeo cognitam methodum sequitur. Linctus scilicet canum, id edoctorum, balneis substituit, eosque his & salubriores, & commodiores esse contendit.



& continente, ita dicto. Hujus, uti varii sunt usus, *m*) ita postremo haud sane ponendus est loco is, quo fibræ servat flexilitatem, & ita incrementum embryonis adjuvat, promovetque. Agit ergo liquor ille, uti balneum molliens, ex sua mucositate in corpus tenellum, & videtur ita natura ipsa foetuum recens natorum nobis suadere balnea, quum laxiori eorum corpusculo, libero nunc aëris accessui exposito siccitas & rigiditas fibrarum, infensissimæ incrementi hostes, minentur. Omne enim animal ab ipso statim ortu siccius efficitur, teste GALENO. *n*) Nunquam igitur magis, quam sub infantia progressu, fibræ servanda est flexilitas, quippe quo ætatis stadio velox incrementum, multoque, quam in reliquis, expeditius requiritur. Hunc autem usum à balneis tutissime posse expectari, supra §. III. V. docuimus. Ex alia porro parte balneorum in ætate infantili adhibendorum utilitas, ac necessitas elucet. Constat inter omnes, quantum cum ad tuendam prosperam valetudinem, tum ad debellandos morbos quam plurimos, faciat quolibet in corpore motus, & exercitatio. Tantum sane AVICENNA, & qui hujus verba repetit IOH. CLAUD. ADRIAN. HELVETIUS *o*) medicinæ huic statuunt pretium,

*m*) Conf. B. D. D. MAUCHART Diff. de indole, varioque usu liquoris amii, Tubingæ 1748. edita.

*n*) De tuenda sanitate, L. I.

*o*) Qu. med. Estne motus præcipua sani corporis medicina? Parisiis d. 21. Febr. 1741. propugnata §. V. sub finem.





tium, ut adserere non dubitent, “ si homines opportuno  
 „ tempore exercitio ac labore utantur, futurum esse, ut  
 „ omnibus medicis carere possint, & medicamentis, Neque  
 vero, quod adeo fit nimium, videntur dixisse. Motu enim  
 & exercitio rite institutis fibræ laxiores incitatae, & motæ,  
 roborantur, eorumque validiore motu, humorum quoque  
 vegetior fit circulus, rite perficitur secretio, excretio, &  
 bonæ notæ nutritio. p) Jam verò, quum tenerrima infan-  
 tum corpuscula minus moveri, atque exerceri possint, alia  
 illis ratione subveniri oportet. Substituatur scilicet frictio  
 blandior, eundem præstitura effectum, quippe quæ cutis  
 poros patulos reddit atque apertos, sanguinem ad cutis  
 superficiem adlicit, ei per minima vascula viam liberiore  
 conciliat, humores resolvit, & ad evacuationem aptat, cu-  
 tim denique firmam efficit, densamque, & quæ sunt reli-  
 qua §. III. Sicca autem alia frictio cum sit, alia humida,  
 illaque ab infantibus ob summam cutis teneritatem impune  
 sustineri vix possit; hanc adhibendam, adeoque in balneo  
 eam instituendam esse nemo non videt. Accedit enarratis  
 his aliud, idque duplex, à balneis expectandum, in tuen-  
 da infantum sanitate præsidium. Observamus nempe in-  
 fantes in ipso balneo constitutos, frequentiores edere vagi-  
 tus, eidemque exemptos abstersosque altioris, ac facilioris  
 frui somni beneficio. Prius illud eandem iis dubio procul  
 adfert

p) Conf. Qu. med. Cl. NICOL. ANDRY, an præcipua valetudinis tu-  
 tela exercitatio? Paris. 1751.



adfert utilitatem, quam adultioribus illa, toties, tot tantis  
 elogiis a veteribus commendata, vocis exercitatio, cujus  
 tantam in exercendo corpore esse præstantiam ait, quem  
 modo diximus Cl. ANDRY, *q*) ut id fortasse causæ sit, cur  
 feminæ non tanto alias exercitio indigeant, quanto indigent  
 viri, quoniam scilicet sint illæ natura loquaciores. Quâ in  
 re, addit, providam naturam mirere. Salubrem certe esse,  
 multumque ad bonam valetudinem prodesse hanc exercita-  
 tionem, omni caret dubio. Causam hanc esse adfirmat  
 Cl. ANDRY, *r*) cur monachi conclusi, & claustrales vir-  
 gines, quamvis non multo uti videantur exercitio, vitam  
 tamen salubrem ducant, diu scilicet, noctuque vocem ex-  
 ercentes in canendis Deo precibus, & hoc exercitio cor-  
 poris motum pensantes. Vocis sane ac loquelæ frequen-  
 tiore usu pulmones expanduntur, sanguinem citius, facilius-  
 que trajiciunt, septum transversum frequentius ac fortius  
 in subiectum ventriculum premunt, ut ita contentorum  
 in illo egregiè juvetur coctio, digestio, atque expulsio, qui-  
 bus infantes eo magis videntur indigere, quo laxior est  
 adhuc in eis fibra motrix, quoque debiliora, composita in-  
 de, sunt viscera. Non est igitur, cur absurditatis accuse-  
 mus Indorum morem, qui, referente laudato ANDRY, *s*)  
 quoniam eorum infantes numquam fere lacrimantur, &  
 plorant, urticis quandoque tenella corpora pungunt, ut  
 clamitent, ejulent, vociferentur: cujus instituti causam  
 cui-

*q*) l. c. §. V.

*r*) l. c.

*s*) l. c.





cuilibet sciscitanti non aliam produnt, quam natorum suorum valetudinem & longævitatē procurandam. Æque salubris etiā est infantibus somnus, diutius protractus, licet in adultæ ætatis hominibus perniciosus is plerumque esse, & sanitati officere animadvertatur. Hæc sufficiant de balneorum apud infantes utilitate ac necessitate, generatim spectata.

### §. X.

## Materia ad balneum pro infantibus optima.

Varias supra §. IV — VII adlegavimus balneorum species. Quaritur itaque, quænam balnea pro infantibus sint optima. Frigida nostris exfularunt temporibus, si gentium, septentrionem versus habitantium, ritus eximios feceris, ubi partem aliquam cultus religiosi constituunt. <sup>t)</sup> Veteres germani fœtus recens natos olim in rheno demerserunt, idque experimenti causa fecisse dicuntur, quo resciscerent, num genuini essent parentum liberi, nec ne? Hinc CLAUDIANVS <sup>u)</sup> de iis:

“ nascentes explorat gurgite rhenus „

Alio fine tenellos frigidæ olim immergebant antiqui Italiæ  
populi,

<sup>t)</sup> S. die heutige Historie aller Nationen in Europa, aus dem englischen des Herrn Capitain Salmon übersetzt von Reichard. Altona und Leipzig. 1752. p. 60. & 728.

<sup>u)</sup> In RUFFINVM V. 113. Ita Pfylli recens natos offerebant serpentibus,  
ut





populi, obfirmandi scilicet Corporis Cauſſa. Hinc apud  
VIRGILIVM x) REMVLVS.

Durum a ſtirpe genus, natos ad flumina primum  
Deferimus, ſævoque gelu duramus, & undis.

Placet nobis Epicriſis, quam de hoc, aqua frigida infantes  
lavandi more dedit Cl. ANDRY. y) “ Les anciens ger-  
,, mains, inquit, plongeoyent dans le rheim leurs enfans,  
,, encore tout chauds, au ſortir du ventre de la mère, de  
,, même, qu’on plonge le fer chaud dans l’eau froide, pour  
,, le rendre plus dût. Il faut, que les enfans, qui ont pû  
,, ſouffrir une telle epreuve, ſans perir, euſſent été formés,  
,, dans les entrailles du mont Caucaſe. ,, Veteres græci  
vino lavabant infantes, ut temperaturam eorum obſirma-  
rent, ſalibus utebantur ad eluendam corporum ſorditiem,  
lotium puerile, ut liquorem falſum abſtergentem, adhibe-  
bant, ſalem tritum, pulverem gallarum, & myrti adſper-  
gebant, ſi juſto mollior videbatur infantis habitus, ut iſtis  
aliquo modo adſtringeretur lenius. Hodie, ubi balnea ad-  
huc aliquo in uſu ſunt, aqua tepida, vel lacte uti ſolent:  
quæ licet rejicienda non ſint, certo tamen certius eſt, plus  
emo-

ut originis fidem probarent. De quibus LVCANVS L.VIII. V. 900. ſqq.  
ita canit:

- - in terram parvus cum decidit infans  
Ne qua ſit externæ veneris miſtura timentes,  
Lethifica dubios expiorant aſpide partus.

x) AEN. L. VIII. V. 603. ſq.

y) *L'orthopédie, ou l'art de prévenir dans les enfans les difformités du Corps,*  
à Bruxelles 1743. preface, page 16.





emolumenti ex balneis in infantes redundare, si per plures à partu hebdomadas, tertio quoque quartove die iis immittantur balneis, quæ ex aqua fontana, cum herba mellissæ, floribus Chamæmeli & Sambuci decocta conficiuntur, nec adeo calida sunt, quin gutta oculo ferri possit. In balneo constituti per horæ circiter quadrantem leviter in toto corpore perfricentur, absterfi, componantur in lectulum. Quod si infantes debiliores, præmature cumprimis in lucem editi, magis refocillandi sunt, atque corroborandi, excellentem usum præstat balneum ex anatica vini rubri, *Pontac* dicti, & aquæ fluviatilis parte compositum: quo quidem remedio medicus quidam, isque longè celeberrimus, infantem ita debilem, ut de vita ipsius desperarent plerique omnes, egregie planè refecit, rectoque vitæ robori sensim, paulatimque felicissimo restituit successu. Iisdem mollioribus conducere quoque potest membrisque lacertosam vim conciliare balneum simplicissimum, ex cerevisiâ primaria, nondum lupulata, & egelida confectum, singulis hebdomadis semel bisve in usum vocandum. Infantes a partu difficiliore contusos, pressos, indeque difformes ita tractari jubet laudatus ANDRY. z) “ Si les enfans „ nouvellement nés ont quelques meurtrissures sur le corps, „ pour avoir été trop foulés, & pressés, en venant au „ monde, on mele dans de l’eau tiède, des roses fraîches, „ de la camomille recement cueillie, & de la moussé d’arbre. „ Il faut netoyer les oreilles de l’enfant, ses yeux, sa bou- „ che,



„che, & donner à chacun de ses membres en les maniant  
 „doucelement la forme, & la rectitude, qu'ils doivent avoir,  
 „pour composer un tout parfait, comme fit autre fois Pro-  
 „methée, qui de son habile main forma l'homme à l'image  
 „de la divinité. Quand le bain aura attendri la peau de  
 „l'enfant, pour la durcir, on la frotte doucement avec du  
 „sel blanc, bien pilè.

§. XI.

Morbi infantum balneis removendi  
 in genere.

Dicendum nunc est de morbis infantum, in quorum &  
 præservatione, & curatione insignem suam virtutem atque  
 efficaciam exserunt balnea. Consistunt hi, generatim si  
 spectentur, ex iis, quæ hæctenus passim disputavimus.  
 1<sup>o</sup> in obstructis cutis viis, 2<sup>o</sup> in exanthematibus chronicis  
 cutim exasperantibus. 3<sup>o</sup> in obstructionibus, & nutritio-  
 ne læsa. 4<sup>o</sup> in debilitate. 5<sup>o</sup> in Spasmiss. De his singu-  
 lis, ad specialiores morbos adplicatis, copiosius nunc  
 disputabimus.

§. XII.

Sordibus cutis purgandis, & morbis  
 cutaneis balnea.

Lotione, balneoque abstergi fordes, in Corpore col-  
 lectas, ita tritum pervagatumque est, ut, si magno id ap-  
 paratu





paratu probare adlaboraremus, haud sane immerito magnas agere videremur nugas. Maximè hâc munditie indigent infantes recens nati. Eorum enim cutis, quæ post exclusionem ex utero materno variis conspurcata inquinamentis conspicitur, novo nunc officio, insensibili puta perspirationi, debet adcommodari. Glandulæ insuper muciparæ, quas vocant, lento turgent succo, eodemque obsessi sunt pori, qui omnis detergendus est, si insignes, à neglectu hujus munditiei oriundas, vitare velimus noxas. Laventur igitur fœtus, & si simplex tepida minus sufficiat, vocentur in usum factitii globi saponacei, ad abstergendas velaminum fordes aptissimi, vel & ipsa statim adhibeantur balnea. Plurimi morbi cutanei, si non semper, sæpissimè tamen, ab immunditie proficiscuntur, &, licet facile largiamur, mala ista, præsertim, si longius jam fuerint progressa, sola balneorum ope sanari non posse: iidem tamen sine audacia audemus contendere, balnea, rite interim adhibitis remediis internis, ad debellandos istius generis morbos haud mediocrem, sed insignem plane conferre symbolam. Sic in scabie, nominatim sicca, munditiam accurate observandam, balnea aquæ fluviatilis & decocti furfurum cum herbis amaris, &, si malum per longas invaluerit moras, ea quæ ex Martis parantur scoriis summe commendat Exc. & Cel. LUDWIG, a) *Præceptor noster, omni observantiæ cultu ætatem suspiciendus.* Scabiei quum heic injiciamus mentionem, non possumus, quin de causâ illius, vel

a) *Instit. Therap. Special.* §. 520 -- 524.



vel tribus agamus. Esse eam serum acrius, scorbuticum, spissius interdum, in Cutis habitu stagnans, vel in humoribus corporis evolutum, vel & contagio susceptum, recentiorum, eaque maxima probabilitate gaudens, est sententia. *b)* Verminosæ statores, & fautores medicinæ, verminosum accusant seminium, scabiemque animatum esse morbum contendunt; inter quos præcipue *Richardus* MEAD, celebris apud Anglos medicus, minima insectula subter cutem repentia, statuit, nec vulgari veritatis specie hanc suam hypothesein ornat, & inde etiam contagii, ovulorum commercio facti, rationem explicat: ideoque, rejectis hoc in morbo omnibus remediis internis, nonnisi externis utendum, & inter alia quoque tepido balneo lavandos esse ægrotos suadet *c)* Comedones, germanice *Mitesser*, crinones dicti, qui radices pilorum, in cute aliquando proditorum, atque glandulas sebaceas, inprimis juxta umbilicum, brachia, & crura obsident, à veteribus itidem pro veris infantum vermibus cutaneis, à seminio verminoso inductis, & in cutem ex aëre propagatis habiti sunt, *d)*

quum

*b)* Vid. Præceptor optimus l. c.

*c)* Integrum ejus hac de re Commentarium vid. in *the philosophical Transactions*. numb. 283.

*d)* Omnem circa vermium doctrinam rem exposuit G. H. VVELSCHIVS in *Exercitationibus de vena medinensi, s. de Dracunculo veterum, & de vermibus capillaribus infantum*, Aug. Vind. 1674. Nasci tamen vermes sub cute bestiarum historia Insectorum docet. Sunt muscæ, vivam appetentes carnem, quæ sua ovula in vulneribus aculeo inflictis, depouunt, ex quibus nascuntur vermes, in similes muscas metamorphoseos





quum tamen re vera aliud sint nihil, quam mucus glandularum sebacearum, obstructis poris, lentescens, qui eam ob causam maxime fefellit minus curiosos rerum examinatores, quod extrema ejus pars, ex poro emicans, aëris accessu nigrescit, reliqua autem, vasculo inclusa cutaneo, vermis quamdam præ se fert speciem, quum capilli in morem tenuis sit & longa. Nihil injuriæ heic fit obstetricibus, ac nutricibus, quando earum, in abluendis fordibus negligentia, & linteorum, quibus infantes involvuntur, impuritas, pro causa hujus mali adcusatur; simul vero etiam infitiam non licet, infantis ipsius malos succos in censum heic venire. Macie per hunc morbum tenella corpora consumuntur, & quasi contabescunt. In profligando autem eo omnis propemodum recuperandæ salutis spes in balneorum usu frequentiori sita esse conspicitur. Infans itaque, morbo hoc correptus, tertio quoque vel quarto die immittatur in balneum, ex aquæ fluviatilis & lactis æquali portione, cum herba marrubii, serpilli, floribus chamæmeli, & saponе veneto coctum: in eo per horæ quadrantem detentus lenius fricetur, abstergatur, & postmodum farina secalina, quæ partem circiter quartam mellis despumati exceperit, paullo fortius perfricetur: hæc, cuti ita  
illinita,

lege convertendi. *Hippobosca* sunt duæ species, quarum altera in equorum & boum intestino recto ovula deponit ibique insigni sæpius numero ad inguina & perineum habitat, altera in pullis hirundinum, avibus rapacibus & in nidis invenitur. v. Cl. Cl. LINNÆI *Faun. Sæc.*  
1043. 1044.





illinita, cultro deinceps tonsorio subtilius, & manu suspen-  
sa deradantur; hoc enim pacto materia, quæ poros obsi-  
det, & infarcit, simul extruditur, infantes statim faciliori,  
ac benigniori perfuuntur somno, longeque melius nutri-  
untur. Restat adhuc ex cutaneis infantum morbis ille,  
quando tenuissima eorum cuticula ab humore cutem inun-  
gente, acri, corrosivo facto, summis intensisque cum do-  
loribus exeditur. Heic nihil profecto conduxerit magis,  
quam species balnei particularis, quando nempe nonnisi  
pars infantis, male adfecta, in balneum tepidum, ex lacte  
cum furfuribus, & floribus sambuci coctum, demittatur,  
vel spongia, eodem madefacta, quam lenissimè deterga-  
tur, & deinceps æquali parte rosarum aquæ, & vulnera-  
riæ (eau d'arquebusade) abluatur.

### §. XIII.

## Atrophix & rhachitidi balneum.

Progredimur jam ad alios infantum morbos, & heic  
quidem primo se nobis loco offerunt atrophix & rhachitis.  
Laborare his dicitur infans, quando ex vitio laxioris, flac-  
cidioris & inertis fibræ motricis itemque ex lenta, frigida-  
que cacochymia, pessime, & inæquali maxime ratione nu-  
tritur, extremitates habet tenues, caput verò vehementer  
expansum, ventrem denique gestat referto mesenterio, he-  
pate & liene turgidum. Diræ hujus morbi causæ sunt nu-  
merosissimæ, quæ quum omnes proxime nunc ad nos haud





spectent, fusius etiam sæpe jam sint repetitæ. e) Duobus saltim, vel tribus tangemus præcipuas. Infantes à parentibus imbecillis & enervatis geniti, malo crudo lacte nutriti, aëre humido nebuloso circumfusi, f) alimentis male coctis crudioribus aut durioribus, quam ut à debili digestionis organo subigantur, sustentati, vermibus vexati, dentitionem patientes, & in quibus munditiei cura turpiter negligitur g) misera sunt morbi nostri subiecta. Conducunt heic externe adhibita omnia, quæ roborant fibras, tonumque augent; aër siccus atque serenus; frictio, pannis asperioribus, thure, mastiche suffitis, instituta; balnea, roborantes quæ exceperunt & nervinas herbarum particulas h) & imprimis frigida, quorum in roborando corporis habitu singu-

e) Vid. IAC. PRIMEROSIVS *de morbis puerorum*, Roterodam. 1659. p. 121. qui hunc morbum, anglici nomine inter primos descripsit. PLATNER *Instit. Chirurg.* 1065-1074. SHAW *a new practice of Physic*, London 1730. P. III. S. I. p. 563. BVCHNER. *Diff. de Rachitide*, Argent. 1754. rel. rel.

f) Potissima hæc caussa esse videtur, quam ob rem hic morbus per Angliam, Argentorati, cet. tanta sæviat violentia.

g) Hæc caussa proximè nostrum thema tangit, clarorum virorum auctoritate suffulta, sic Cl. PLATNER. l. c. 1069. ait, pueris nil magis nocet, quam si negligitur mundities, & sordes ventrisque proluvies, quibus cutis conspurcari solet. Et SHAW l. c. p. 565. Whatever obstructs insensible perspiration, as all sorts, of external moisture ought to be carefully avoided.

h) Vid. FRID. HOFFMANNI *med. rat. Suppl.* p. 75. Simili gaudere effectu balnea aquæ dulcis, cum herbis majoranæ, lavendulæ, roris marini, cet. decoctæ propria me docuit experientia. Plusculos enim vidi ægrotos, qui, immissi illis crebrius, & postea linimentis nervinis, cum frictionibus spinæ dorsi, & artuum, inuncti, mirum in modum sublevati, immo tandem ceteris paribus ex voto fuerunt restituti.





singularem vim supra laudavimus: quæ etiam laudatus PLATNERVS *i)* nobiscum heic commendat, & quorum adhibendi modum, SHAW *k)* sequentem indicat. „’Tis „now likewise, pretty generally thought of service in the „rickets, before the distemper comes to be confirm’d, to „plunge the patient two or three times, every morning, „into a tub of cold water: continuing him for about two „or three seconds of time under water, at each plunge; „but the whole operation ought not to last above a minute „or two at most, unless the patient be strong, and can well „endure it. After being taken out the last time, he is to „be well dried, and immediately committed to his bed, or „cradle, and there permitted to perspire freely, or sweat „for an hour, or more, as his strength will allow.„ Sed hæc omnia dicta velim de morbo, qui nondum altiores radices egit, nec dum eum adscendit gradum, ut veri adsint viscerum scirrhi, ossaque distorta, carie exesa, & spina ventosa corrupta conspiciantur: his enim mederi velle, miseroque ægrotanti salutis restitutionem polliceri, absolum foret, atque ridiculum, plusque à natura postularetur, quam in hujusmodi casibus concedere consuevit mortalibus.

#### §. XIV.

### Variolis balneum.

Inter morbos, quibus obnoxia est ætas infantilis, rabiem suam præcipue exercent variolæ, puellis infensissimæ, matri-

*i)* l. c. §. 1072.

*k)* l. c. p. 566.





matribus detestatae. Necessarias has fecit transvecta à parentibus in liberos humorum virulentia, quarum materies, in sanguine occulta, 1) nulla, nisi cutis via educi quum possit, prospiciendum quoque mature erit, ut hæc via fervetur libera: id quod balneis, in ipsa epidemia variolari instituendis, perfici potest commode, & sic quodammodo præcidi tumultuosa & malignior variolarum eruptio, promoveri contra blandior, atque benigna. Sunt, qui pro consequendo hoc scopo balnea adhibent universalia, aquæ simplicis, vel ex lacte parata; alii eadem, non nisi extremitatibus adplicant. Generatim prophylactica hæc cura suas meretur laudes. Balneis cutem laxari, poros ampliari, vel ita certe disponi, ut exitui mali humoris minus resistent; diapnoën servari; ad cutis habitum humores deferri, fibramque molliorem reddi, supra docuimus. Quibus positis, necessaria consecutione id efficitur, ut corpus balneorum ope aptissimè ad miasmatis evolutionem præparetur. 3)

Cl.

1) Habemus consentientem heic ADAMVM THOMSON, Medicum Anglum, in Philadelphia Practicum, qui in peculiari tractatu, de rite præparando ad variolas corpore, academix Londinensi publice oblato, nunc in vernaculam nostram tralato im *Samb. Magazin*, B. XVI. St. II. S. 127. ita: Es ist sehr wahrscheinlich, daß die Materie zu den Pocken allezeit in dem menschlichen Blute vorhanden ist: denn die Amerikaner, unter denen man von den Pocken niemals etwas gewußt hat, ehe die Europæer unter sie gekommen waren, fangen sie von einer angestehten Person so leicht, als andere, auf.

3) Cl. MVNIER in Qu. med. supra à nobis laudata, ejusque §. III. eruptionis impedimenta rigiditatem, densitatem, ex spasmò susceptas, vel  
ex





Cl. MARTIN, medicus & chirurgus Lausanensis, de medicina simpliciore, ut præstantissima, ingeniose sollicitus, balneorum in variolis curam prophylacticam felicissimo eventu adhibuit. Modus adhibendi ita traditur. *n)* „Mon-  
„sieur MARTIN bassine la peau du visage & de tout le  
„corps avec un linge mollet, trempé dans de l'eau tiède,  
„& cela de quatre heures en quatre heures, jusqu'à l'erup-  
„tion des pustules. Il a vû les grands accidens se calmer  
„fort vite par ce moyen; les pustules paroître de bonne  
„heure, & ne laisser aucune cicatrice remarquable.„ Non  
verò tantum præparandi, sed etiam curandi laudant aliqui  
balneorum in variolis usum. Sic Cl. MVNIER *o)* exhiben-  
da ea suadet in confluentibus, ubi retenta materia puru-  
lenta respirationem anxiam variosque alios jam efficit cru-  
ciatus. Febrim secundariam, quæ sæpissime ægrum, quum  
variolæ ad suum pervenere statum, corripit, nullo melius  
remedio anteverti, aut saltim minui, quam balneo, IDEM  
ad-

ex naturali partium contextu oriundas adserit: & laudatus THOMSON  
l. c. ita pronuntiat: Man hat durchgängig durch die Erfahrung und Be-  
obachtung gefunden, daß sich der Körper in dem heilsamsten Zustande, die  
Pocken anzunehmen befindet, wenn die Gefäße geschmeidig und biegsam  
sind, und ein kaltes und temperirtes Blut enthalten; daher kommt es, daß  
alte Leute, deren Gefäße steiff und unbiegsam sind, bey den Pocken so wohl  
als allen andern Entzündungs-Krankheiten, mehr als junge Personen in  
Gefahr stehen.

*n)* *Memoires de l'academie des sciences de Paris, l'année 1737. à Amsterdam*  
1741. p. 67. §. III.

*o)* l. c. §. III.





adferit, addens & hoc, si pustulæ, quæ adparuerint, statim recedant aut sistantur, ex cute densiori, aut poris obstructis, crustis jam efformatis, mirum in modum emolli-ri, cutem laxari, poros ampliari, restaurarique virosi humoris eruptionem; inprimis, si datur simul cardiacum adpropriatum. Haud postremum denique balneorum in variolis usum hunc esse, persuasum habemus, quod, iis ad extremitates adplicatis, pustulæ thoracem, & caput minus infestent, sed ad solas tum extremitates derivari videantur. Primo enim, teste SYDENHAMIO hoc tanti est momenti, ut eo præcise minus periculosæ censendæ sint variolæ. Deinde quid exoptatius esse potest sequiori sexui, quam quod balnei beneficio materia variolosa, ad inferiora detrusa, illas purpureas genas, illa mollicella colla, illas lacteas papillas cet. immunes fere præstat à maculis horridis, tantopere formidatis? Quæ enim ex illis vitam servare velit formæ jactura

Haud facile invenies multis e millibus unam.

#### §. XV.

Adfectibus spasticis, convulsivis, & colicis  
infantium balnea.

Constat inter omnes, in corpore infantis eam esse partium solidarum indolem, atque naturam, ut non firmæ multo minus duræ, sed laxius cohærentes potius sint, molliores, debiliores, quam facillimè movendæ, atque irri-  
tandæ



tandæ. Constat itidem, quo teneriores sint partium solidarum fibræ motrices, eo etiam citius illas à qualibet accedente caussa male haberi, laceffi, convelli, & distendi. Omnia hæc in infantibus toto die licet observare; hincque cognoscitur, quomodo fiat, ut ii crebrius vehementiusque vexentur à spasmiss, vomitu, singultu, tussi spasmodica, sicca, urina suppressa, immo, ut rarissimè exanthemata febrilia extrudant, vel alios quoscunque experiantur morbos, quin misere prius convellantur, ac distendantur. Quæ quum ita se habeant, certumque, ac exploratum sit, omne spasmodorum genus ad symptomata pertinere vehementiora & urgentia, apud infantes præcipue, in quibus, si in consuetudinem semel venerit, malum facile periodicum fit & epilepsiam procreat; sponte intelligitur, omni studio, omnique diligentia eo esse adlaborandum, ut insultus hi anticipentur, arceantur, vel certe, si sperari hæc nequeant, quadamtenus mitigentur. Causæ motuum spasmodicorum non semper sunt eadem. Mirifica in eis deprehenditur & varietas, & diversitas. Interdum in aëre inquinato, in victu impuro, nominatim lolii frumentacei, fatui, aut temulenti *p*) usu; in primarum viarum inquinamentis, variisque acrimoniarum, ibi subsidentium generibus; in verminosa, heic nidulante, colluyie sitæ sunt:

inter-  
*p*) Est lolium spica aristata LINN. *Spec. plant.* T. I. p. 83. *Spec. 2.* gramen loliaceum spica longiore. BAVH. pin. 9. & SCHEVCHZ. gram. 31. BAII  
*Histor. plantar.* p. 1262. Sp. 1.





interdum a morbis cutaneis retropulsis proficiscuntur, & à diversis cum humorum massa circumductis acrimoniis: animi pathemata graviora, terror, ira, dolor, nec non ingesta acriora, draſtica, commoventia, haud raro cauſas mali exhibent. In tanta igitur illarum varietate, variæ itidem indicationes curatoriaë, cuiſibet cauſæ adpropriatæ erunt formandæ. At quid nunc balnea? Liberaliſſimè concedimus, horum beneficio morbi cauſas non niſi rariſſimè tolli; adeoque ipſum etiam morbum non proſtigari. Sufficit nobis levaſſe ſymptoma, quod ipſe ſpasmus eſt, adeoque exercuiſſe indicationem palliativam, ſeu urgentem; hoc eſt, eam, quæ avertit ſymptomata, genuinam medendi methodum nunc turbantia, immo non nunquam præſens vitæ periculum minitantiã. Facile hæc omnia concedentur, ſi prius intellecta fuerit ſingularis balneorum in ſopiendis ſpasmis vis atque efficacia. q) Spasmus eſt violenta, & præternaturalis fibræ conſtrictio; vel, eſt tenſio præternaturæ regulam auçta; cui mechanicè opponitur atonia: Fibra igitur, à quacumque demum cauſa ſit contracta, ſi laxatur, à ſpasmò libera ſit, ac reſtituitur. Balneo hoc præſtari tepido, ex natura & generali ejus actione ſupra docuimus, nec, optima rerum magiſtra, experientia de rei veritate nos finit dubitare. Sic magnus ille medicus, **FRID. HOFFMANNVS** quam frequentiffime balneorum aquæ dulcis, temperate calidorum uſum, omnibus eſſe præferendum

q) Vid. exc. & cel. **LVDWIG**. *Inſtitut. Pathol.* §. 957. & 1105.



ferendum remediis adfirmat, in sopiendis convulsivis & spasmodicis vagis motibus; utpote quo strictæ partes relaxentur, æquabilis sanguinis circumfluxus, semper sub spasmō impeditus, promoveatur; perspiratio suppressa revocetur, & sub quiete, leniorique sudore, morbus, seu quod idem est, symptoma primarium terminetur. Singultus, à cohibita perspiratione subortus, restituta per balneum tepidum naturali hac evaporatione, curatur felicissimè. Partibus dolore excruciatas, fofus, & balnea aquæ calidæ vel lactis, quibus herbæ emollientes etiam addantur, adplicari jubet laudatissimus noster **LVDWIGIVS.** r) Sistendis doloribus colicis jam olim celebris **SYDENHAMIVS** animalis vivi, v. g. canis aperti, abdominique impositi, fofum suasit, ut fibrarum laxaretur strictura; methodum hanc paullo perfectiorem exhibuerunt ii, qui decocta calida, emollientia, dolenti abdominis parti adplicuerunt. Palmam verò hisce omnibus non dubiam reddit, sed præripit balneum tepidum, quod emollientes excepit herbas, reliquis eo maximè præferendum nomine, quod serie non interrupta circumdat corpus, idque in eodem semper caloris gradu detinet, & ad majorem uberiolemque humorum emollientium resorptionem disponit; quæ forsan à continua aquæ contra poros pressione magis adhuc augetur. Quatuor adfertum nostrum adprime illustrantia, exempla existant in *Observationibus Edinburgensibus* s) ubi in pertinacissimis

r) l. c. §. 167e.

s) Vol. III. p. 507--515.





mis doloribus colicis, haud neglectis interim remediis internis, balnea nostra secundissimo eventu adhibuit ROBERTVS PORTER. Verum residua adhuc est peculiaris ratio, quæ præter eas, quas adduximus, balneorum usum apud infantes, spasmis vexatos, nobis suadet, tum, quod omnium fere medicamentorum, quam maxime sint impatientes, tum, quod præcipuum illud anodynum, opium puta, non ferant, quippe cujus vim, quum in omnes nervos, tum præcipue in illos infantum teneriores, tantam esse cognoscimus, ut ingenia eorum inde hebescant, tristissimoque fato per omnem sæpe vitam stupefiant.

#### §. XVI.

### Dentitioni difficili balneum.

Convenit hæc paragrahus, in qua, dentitioni difficili balneum conducere, demonstraturi sumus, quodam modo, cum ea, quæ antecessit proxime. Non inter ultima levissimaque infantum dentientium symptomata esse tensiones, & convulsiones, experientia edoctus nemo non novit. Quibus in universum balnea si conducunt, quis, eadem hoc etiam in casu proficua esse, infitiabitur? Tempus illud, quo infantum dentes erumpere incipiunt, plerumque quartum inter & septimum mensem deprehenditur: quo sane tempore totius systematis nervosi ea adhuc est conditio, ut facillime moveatur, atque à doloribus, qui sub ossorum  
horum





horum cuneorum, per gingivas eruptione non possunt non adesse, irritetur, & convellatur. Superveniunt præterea haud raro, vasorum sanguineorum gingivæ, & maxillarum obstructions: hinc levior inflammatio, cum febris symptomatica, quæ ad interiora versa, fere semper diarrhœis, vehementioribus non nunquam, & cruentis, terminatur. Huic non minus scopo respondent tepida balnea, quippe quibus molliuntur fibræ, ac laxantur, sanguinis per universum corpus, adeoque etiam per os, motus fit æquabilior, vasorum obstructio referatur, inflammatio, inde oriunda, cessat, fortassis etiam sanguinis impetus, ad superiora vergens, aliquo modo versus inferiora derivatur. Auxiliantur heic potissimum balnea emollientia, cum veterum heliotropio, nostro verbasco, parata. In hisce laventur pueri, ibique simul in lavacro gingivæ contrectentur, & molliantur, vel & adplicentur iisdem alia mollientia, quæ magis ex usu videbuntur, v. g. lactis cremor, butyrum, mel, ficus per medium dissecta, vel alia linimenta, mollientibus, & anodynis remixta.

### §. XVII.

## Adfectibus vesicæ in tenera ætate balnea.

Properamus ad finem; quem antequam plane faciamus, quædam adhuc de morbis, vesicam infantum affligentibus,





subjungemus, *balneorumque* in iis usum stabiliemus. Nascuntur sæpe in vesicis infantum calculi, modo arenosi & fragiles, modo duri, chirurgia sanandi, quam veteres, CELSO teste, potissimum in pueris exercuerunt. Proponantur his, si doloribus excruciantur, balnea, in quibus cocta sunt malva, lapathum, althæa cet. quæ omnia leniunt, & molliunt. Methodus hæc in compescendis viarum urinæ doloribus, optima, & simul antiquissima est, quippe ab HIPPOCRATE <sup>t)</sup> jam indigitata, dicente: „quum dolor in renibus (idem de vesica valet) prefferit, „multa calida lavato, & tepefactoria, qua parte maxime „dolet, adhibeto.„ Balnea hæc non modo leniunt dolores, sed & ipsam interdum tollere possunt morbi causam, laxando & ampliando excretorium urinæ canalem, urethram, præcipue in sexu sequiori, conciliando itaque liberiores calculo egressuro viam: at frequenter utendum est hoc remedio; diutius commorandum ægrotis in balneo, & bis vel ter de die repetenda applicatio. Ubi spasmorum cruciatus, & mingendi difficultas urgent vesicam, balneis itidem & semicupiis nullum præsentius est remedium, eximiam tamen utilitatem quoque præstant vaporosi infusus, substrato herbarum mollientium cum lacte decocto, debito modo admissi, quippe qui valde molliunt, demulcent, spasmisque obviam eunt. Alius morbus, sub provectio-

rem

t) L. V. de adfect. intern.



rem pueritiam haud minus frequens, eorum est, qui lectulos in somno permingunt. Adfectum hunc musculi laxatio & colli vesicæ, interdum non nisi prava consuetudo inducit. Medentur autem balnea, quibus pueri ad medium usque dorsum immittuntur, desiccantia. Conferunt hinc omnes thermæ martiales roborantes, quarum defectum tamen supplere insigniter queunt balnea artificialia, ex adstringentibus confecta.







DESCRIPTION  
BUPRESTIS

TABVLA AENEA

ILLVSTRATA.

Occasionem, paginas hasce superioribus adnectendi, præbuit nobis elegantissima pariter ac doctissima Exc. D. D. IOSEPHI GOTTLIEB KOELREVERTERI, in Academia Petropolitana Professoris nunc Botanici, Amici nostri singularis, dissertatio inauguralis, de insectis coleopteris, anno c1775 CCLV. publice heic loci defensa. Adserit hujus pag. 19. Vir eruditissimus, cui qualemcunque nostram insectorum cognitionem deberi, lubentes, grati, meritoque profitemur, Buprestes proprium genus non constituere, sed cerambycum generi esse inferendos, cujus adserti duplex videtur fuisse causa tum, quod Buprestis species his in terris variores simul, ac minimæ deprehendantur; tum, quod Cl. Author secutus sit, quem non poterat non sequi, LINNAEVM, virum in hoc studiorum genere summum

quem non ventura filebunt

Sæcla, nec ignotum rapiet sub nube vetustas

cujus de Bupresti definitio, justo quodammodo videtur esse latior, quippe quæ variis cerambycum speciebus simul adpropriari queat; quametsi Buprestes peculiare, & proprium genus omnino constituent: id, quod sequenti descriptione, quam ænea insuper tabula illustrandam curavimus, sumus monstraturi.



## Buprestis.

*Corpus* oblongum, pone acuminatum.

*Caput* globosum, maxima ex parte intra thoracem latens.

Oris labium anterius planum, labium posterius emarginatum, maxillæ laterales concavæ, antennulæ oris articulorum quatuor.

Antennæ capitis ferratæ, thoracis latitudine breviores, proxime ad labium oris superius oriundæ; articulis undecim.

Oculi oblongi transversales.

*Thorax* scutiformis, marginatus; margine elevato, in medio nunc planiusculus, nunc convexus.

*Dorsum.* Thorace paullo latius, convexum.

Scutellum figuræ, & magnitudinis indeterminatæ: quibusdam plane deficit.

Elytra thoraci contigua, marginata, margine etiam secundum futuram transversalem producto, pone acuminata; plurimis apice truncata.

*Abdomen* Incisuris sex.

*Pedes* Sex cursorii.

Femora in proportione corporis.

Tibiæ ad extremitatem binis aculeis brevibus armatæ.

Plantæ articulis quatuor, annexo ungue.





*Observ.* Caput intra thoracem reconditum, cum antennis, thoracis latitudine brevioribus ferratis, essentialem generis characterem constituit. Cum Elatere habitu multum convenit.

## Species prima.

*Fig. 1.*

*Buprestis cupreo-viridis*; elytrorum apice dentato.

*Descriptio.* Est e maximis, duos enim cum dimidio pollices longitudine excedit. *Caput* ex æneo nigricans maxima parte intra thoracem reconditum est. Frons coloris æneo viridis; angusto principio oriunda, triangularis versus labium descendit, sulco medio satis profundo exarata: Labium anteriorius fronti, sed cum mobilitate subnectitur, quadratum, luteum minimisque villis conspersum, quod cum labio posteriore leviter emarginato rictum constituit, a maxillis lateralibus triquetris, carinatis *Fig. II.* clausum. Antennæ capitis rufescentes ex propria, & profunda foveola, oculos inter, & labium superius fronti insculpta, tereti tenuique principio oriuntur, sensim vero, articulis octo exterioribus compressis, & latitudine auctis, ferratæ evadunt. Latera capitis, maximamque ejus partem oculi tenent cum nitore rufescentes; oblique  
positi





positi sunt, ab anteriore & superiore capitis parte deorsum, & retrorsum tendentes, ciliis flavescentibus ea parte circumdati, qua frontem, antennas, maxillasque laterales spectant. *Thorax* scutiformis, modice convexus & marginatus est, margine posteriorius paulum ampliato, & in scuti angulos abeunte; foveola in medio excavatur, thoracem in duo tubercula dividente, ex æneo nigricantia, nitidissima, lævissimaque; spatium, quod tubercula inter & thoracis marginem superest, languide ex aureo virescit, ob tenuissimam, qua pubescit, lanuginem. *Scutellum* parvum ex atro viride. *Elytra* thoraci contigua, ex viridi & cupreo vividissime fulgent; antè thoracem paulo latiora sunt, posterius vero decrescunt, & singulum apice suo duobus denticulis, quorum exterior major, terminatur; marginata sunt ex omni parte, margine, qui thoracis commissuram sequitur rugoso. Oriuntur ex ipso hoc margine quinque in singulo elytro striæ, elevatæ, & secundum longitudinem decurrentes, quarum prima a scutello proxime distans brevissima est, & oblique eundo, statim cum futura longitudinali confunditur: secunda eodem, quo prior, loco oritur, parumque flexuosa ad apicem elytri satis distincta, progreditur: tertia, quæ supra tuberculum scapulare elytri originem ducit, pa-





riter flexuosa, ad apicem tendit, priusquam vero illum adtingat, cum quarta, infra dictum tuberculum oriunda, inosculatur; ramulus ex conjunctione ortus ad apicem denique pergit; quinta stria, omniumque distinctissima, quippe maxime elevata, marginem elytrorum legit, atque prope apicem bifida, terminatur. Spatia, striis his interposita, variis depressionibus, tuberculisque aspera, & rugosa adparent. *Abdomen* ex æneo nigricat, atque sex incisuris distinguitur, quarum intermediæ quatuor, minutis villis conspersæ ad locum conjunctionis ex sericeo albicant. *Femora* crassiuscula fordide cinereis pilis lanuginosa sunt, tibiæ vero læves, nitidæque ex aureo saturate virides. Tarsi ejusdem ac tibiæ coloris, plantis quatuor cordiformibus villosis ex fusco luteis; adnexo ungue bifurcato.

## Species fecunda.

*Fig. III.*

*Buprestis*, aureo - viridis, thoracis, elytrorumque striis punctatis, punctis excavatis, villosis, albis.

*Descriptio.* Longitudo corporis unum cum dimidio pollicem æquat. *Corpus* non ut in præcedenti complanatum est, sed quasi teres. *Caput* æneo-nigricans, globosum, multis punctis excavatum, minimisque villis subcinereis conspersum est; frons  
 ampla,



ampla, & convexa propendet, quæ ubi ad labium superius descendit, satis profundo sulco exaratur. Labium superius, ut & inferius præter colorem in hac specie saturate nigrum non multum a præcedente discrepant, maxillæ autem laterales rotundatæ, a parte interiore excavatæ, & cochlearis adinstar conformatæ sunt. *Antennæ* piceæ, principio teretes, in serratas, crescente articulorum latitudine, abeunt: oriuntur proxime ad oculos ex foveola pariter ut in antecedenti fronti insculpta, cujus margo superior in parvum processum extenuatus, primum antennarum articulum ex parte tegit, ipsique vaginæ vices præstat. Oculi oblongi, flavi, in inferiore capitis parte latent, singulumque supercilio munitur, sive macula incana, villosa, proxime supra antennarum insertionem sita. *Thorax* scutiformis, valde convexus, margine elevato gracili cingitur, ex aureo eleganter viridis est, punctis ubique excavatus, variisque striis pilosis exalbidis distinctus; maxima harum striarum medium thoracis tenet, secundum longitudinem non interrupta decurrens; huic ad latera aliæ duæ divergentes flexuosæ, & abruptæ positæ sunt; ultima vix bene distinguenda, secundum marginem thoracis lateralem progreditur, interjacent hisce striis varia puncta villosa, nullo ordine disposita,





ta, albicantia. *Scutellum* deficit. *Elytra* aureo-viridia, anteriorius rugosa, posteriorius glabra, acuminata, plurimisque punctis villosis, in strias dispositis ornata sunt; striæ in singulo elytro numerantur quinque, non computata minima illa, quæ ad principium futuræ longitudinalis est, & tribus tantum punctis villosis constat: prima igitur striarum, a dicta sutura proxime distans, duodecim villosis punctis constat, & per omnem elytri longitudinem, usque ad apicem recta decurrit; secunda huic, ut & omnes reliquæ, parallela, pariter duodecim punctis diversæ magnitudinis notatur; quinta autem ad marginem elytri decurrens, 14. punctis villosis scabra deprehenditur. Interstitia minimis punctis excavata sunt, e quibus hinc & inde seta oritur, coloris sericeo albicantis, nonnisi attento oculo distinguenda. *Abdomen* coloris ex æneo nigricantis valde convexum, sex incisuris distinguitur, ad latera, & in medio valde pilosis: innumeris punctis excavatæ sunt, atque singula, proxime ad marginem elytri, flavescente puncto ornatur. *Femora*, Tibiæ & Tarsi coloris pariter sunt æneo-nigricantis, intermixto parum viridescentis. Plantæ vero ferrugineæ sunt.

*Nota.* Deficient tabulæ æneæ quædam minutiora quidem heic adducta momenta, quorum in exprimendo tanta erat difficultas, ut omnem omnino artificum illuserint industriam.







PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE

DISSERTATIONIS

DE

BALNEIS INFANTVM

AVCTORI,

DOMINO

IOHANNI HOTZ,

TIGVRO - HELVETO,

S. P. D.

ILLIVS,

QVO NON EGVISSET,

PRAESES

D. GEORG. FRID. SIGWART.



*S*acrificulus quidam, quod refert BALD. RONSSEVS Epist. II.  
ad PETREIVM TYARA, homo, cui benigna erat ingenii  
vena, adeoque ad ipsas natus Musas, ni, quam his, Baccho  
litasset frequentius largiusque, inter pocula interrogatus, quo loco  
habe-





haberentur litteræ, litterarumque cultores professoresque, hoc, velut de volubilis, non præcipitis, ingenii sui tripode dicto, respondere disticho:

Si rogitas, quid sint Musæ, quæ fama magistris:  
Sunt Musæ mulæ, nostraque fama fames.

*Acutum sane, nec minus facetum, magisque omnino sobrium, quam quod inebriantes inter vini vortices debebat expectari! Litteratorum enim eruditorumque facta propius inspiciens, fateatur, necesse est, aut ipsas, quas colimus, Musas, ipsosque harum cultores asinini quid habere, aut utrisque aliunde quid adversari, & tum illis, tum horum navatæ operæ, justum pretium non statui, aut denique dictis modis omnibus Musarum cultum vel molestiorem esse, vel contraria speratæ fortuna premi, vel plane prorsusque supprimi. At, at quam facilia solutu sunt opprobriosa hæc dilemmata! Musæ, non mulæ, Musæ, inquam, liberaliores, vel solæ sibi suisque cultoribus pulcherrimum sunt præmium, quo, quod aliunde ipsis denegatur, compensant abunde. Muli mulæque non iterum a mulis sui que similibus, sed a sui & in totum, & ex parte dissimilibus progignuntur. Ex heterogeneis feturis, asinina quippe & equina, mista sunt progenies. Ejus generis sane heterogenea academica, & quæ sunt alia, exhibent quoque Musæ mulæ, die gelehrte Maulesel. Musæ scilicet spurix degeneres que, verbo, hybridæ. Ab asinis equæ mulos mulasque concipiunt, utero gestant, pariunt. Hi proprie non sunt equinæ prosapiæ, sed ab asinis asini asinæve. Quidquid enim de essentia illorum est, id totum asininum est, teste experientia, maxime anatomica. Musæ mulæ pariter de asinorum genere sunt. Itane de eodem earum quoque genitores? Ita. Demonstratu hoc perquam facile est. Musæ mulæ, si essentialia illarum spectes, totæ sunt asininx. (per experientiam academicam.) Sed effectus testatur de sua causa. (per princip. ontolog.) Generati testantur maxime de generantibus.*





tibus. (per experientiam, vel ipsis asinariis mulionibusque obviam.) ERGO EIVSMODI MVSARVM GENITORES SVNT ASINI. Q. E. D. Schol. *En nobile lautumque patrimonium, quod hisce genuinis suis parentibus in acceptis referre debent Musæ mulæ. Enimvero si usquam, heic certe, causarum effectuumque similitudines sua se manifestant claritate, seu, quod noviter ajunt, clarissima sui manifestatione sunt conspicuæ. De hac quidem natorum cum parentibus similitudine operosas & controversas plenas, sed his ipsis intricatiores redditas, disquisitiones videas tam in medicina forensi, quam in juris prudentia medica, disciplinis omnino plane discrepantibus, curatiusque proinde, quam quidem adhuc factum est, ab se invicem discernendis. At quid multa? Uno velut ictu hic secatur nodus. Albæ æque ac nigræ & albos & nigros pariunt; albæ quippe non albos, sed nigros, si cum nigris, nigræ contra albos, ne-tiquam nigros, si cum albis concubuerint maribus. Qui ad hæc non dum desierit ambiguus hæerere, illum certe dubitare amplius non sinet mulorum, de quibus heic agitur, exemplum. Ad eorum enim patres ablegandi mihi esse videntur nimis morosi hac in re sceptici. Verum, missis jam mulorum patribus, in orchestram producendæ sunt illorum matres. Equæ hæ sunt, generosioris generis animantia. Emerguntne igitur inde nobilioris notæ asini asinæve? Ita statuitur vulgo. At at parum est, quod hinc lucrantur, & multo plus, quod perdunt de asinina sua nobilitate. Pulchritudinis aliquid, nec nihil roboris accedere ipsis videtur. Sed neutrum in recessu multum habet, & utrumque parum refert, aut, si mavis, nihil. Utrumque certe præter naturam est, eaque propter monstri aliquid alit. Tantum abest, ut generis nobilitas sola propagetur generatione, aut, quod minus tamen obtinet, a sequiori deduci possit sexu, ut ne mulinum quidem genus pater asinus, nec asinum hybridum generosa nobilitet equa. Verum remotiora hæc sunt. Propius rem tangunt Musæ mulæ.*





*Habent hæc aliquam pulchritudinis & exstantioris nobilitatis speciem, sed falsam illam & fallacem. Secundum hanc quippe, quam reapse sunt, quam, inquam, Musæ asinæ, videntur nobiliores, quum tamen ne ad harum quidem asininam dignitatem adspirent. Musæ asinæ sui saltem sunt nominis, Musæ mulæ non item. Illis sua naturulis est indoles. His contra nascendis natisque tota adversatur natura. Utrisque quidem scenæ genitalis adspetus est idem. Utrinque enim porta, quæ patet, feminea est. Hinc utræque effeminatæ, sed hæc eo magis tales, quo plus de suis participant matricibus & matribus totis. Præterea hæc illegitima magis via intranspectabile hoc theatrum asininum. Hoc igitur vel solo jam nomine mulinis Musis asininas esse præferendas, quis non videt? Verum, præter hanc, aliam, majorem illa, video earum EXCELLENTIAM. Musæ asinæ non penitus infecundæ censendæ sunt. Non alia quidem, quam asinina, illarum est conditio, at fecunditatis tamen laude haud defraudanda. Addo & hoc. Jumentis, quæ oneribus, in nobiliorum Musarum foro ferendis, paria sint, opus non numquam esse, neminem latet. Asinis autem, natura ad id natis, quam vel ipsis mulis MARIANIS perpetuariis, utpote ferocioribus plerumque, tutius feliciusque nos uti, quis dubitet? Clarior ænigmatis ratio hæc est. Mulos mulasque steriles esse, satis jam habemus cognitum. Hinc fit, ut IVVENALI mulæ fetæ pro eo sumantur, quod sine sale effectum vocatur & sterile. Eodem loco habentur, qui, ut æque facete SVETONIUS loquitur, cum mulis pariunt. Musæ degenerantes nonne parili joco excipiendæ sunt? Næ! Musæ mulæ, quæ neque sibi, neque rei publicæ felicitis uteri! Pbi! Musæ infecundæ, non amplius jocosæ, sed serio, sed nude dicendæ! Pbi! Mulæ fetæ, academicæ, aliæ!*

miserandæ fortis asellæ! OVID.

*Perpulchre equidem novi, Musas mulas mutuam scabere,  
quem-*





quemadmodum, quod ERASMVS ait, mulos scabunt muli.  
*Verum nihil hoc obstat.*

Laudantur ab his, culpantur ab illis. HORAT.

*Utri agant rectius, id jamjam dicta liquido declarant. Subit igitur mirari, qui fiat, ut nihilo tamen secius non dum infrequentiores sint factæ Musæ mulæ, sed grex earum hodiernum intra extraque muros academicos novis subinde locupletetur accessionibus. Nam ubique fere, eheu!*

Parturiunt multi. Quid nascitur? hybrida feta.

*At mirari desino. Id ita fert asinorum ferociorum mens adultera, & quibus adulterini horum fetus ab orbis litterarii plebe excipiuntur, plausus imprudentissimi. Malum! malum, quod videre & carpere, quam remove, omnino est facilius. Etenim*

Mulio olet mulam, mula refert asinum.

*Ex auriculis ergo facile cognoscuntur Musæ mulæ earumque genitores. Nam ex iis*

Auriculas asini quis non habet? PERS.

*Auritus autem hic grex suos sponte prodit duces, muliones istos, vel NEPOTISMI, vel alio nomine conductos, & utrinque sapius valde conspicuos. Itaque & heic socius*

Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.

*Socius v. c.*

Declamatoris mulino corde Vagelli. IVV.

*& consimilium, inter quos eminet is quoque, qui*

Festinat calidus mulis gerulisque redemptor. HORAT.





*At regeris: Tamen*

Nec nigri rota cassa mulionis. MART.

*Bene! mulina tamen hæc sunt opera. Sed interpellas: spectatu  
tamen pulchra, nam quoque*

mundæ nitet ungula mulæ. IVV.

*Nitet. Quid tum? Addis:*

Dimidios CRISPI mulio ridet equos. MART.

CRISPI largior. *Ha! ha!*

rifum teneatis amici? HOR.

*Ecquid vero tandem consilii in mulina hac, quæ nunc agitur, causa? Sentisne, intoleranda hæc pecora, Musas mulas, una cum mulionibus suis uno impetu indomitoque fervore exterminanda esse? Clementius, quæso! Musæ mulæ innocentiores videntur. Generatos generantium luere pœnam, nefas. Illæ sane commiseratione, quam indignatione tanta, potius sunt dignæ. Nec hi, earum duces, adeo inclementer & importune sunt excipiendi. His enim illæ, quousque existunt, indigent. Domitis illarum genitoribus, cohibitaque adultera afinorum horum protervia, equæ mulas generare non coguntur amplius. Nulla succedente stirpe, brevi exspirat vel florentissima familia. Cum mulis muliones vel una denascuntur, vel, illis denatis, his non amplius est opus. Clementer itaque toleremus Musas mulas, harumque duces, muliones. Arceamus potius quovis modo stupratores asinos, auritos illarum genitores. Verum hos amovere,*

Hoc opus, hic labor est. VIRG.

*Hos enim*

expellas furca, tamen usque recurrent. HOR.

*Adeo*





*Adeo difficile heic est, principiis obstare, & ipsos jam mularum istarum præcavere conceptus. Prostant fecunditatis exempla, vel a levissima seminis adspersione oriundæ, ut adeo spes fere desit, vel ipsius infibulationis ope hanc mularum progeniem coërceri posse unquam. Quo referas jure meritoque, quod PETRVS BORELLVS Hist. & Observ. medico-phys. Cent. III. Obs. XXVI. recenset, exemplum imprægnatæ equæ, annulo in vulva adeo munitæ. Verum hæc omnia nil ad eos, qui, quas depexas dedimus, sine rubore adspicientes Musas, accinunt:*

*hæ non sunt de grege nostro.*

*Quoquo denique modo hæc omnia se se habeant, ad hasce Musas mulas maxime id spectat, quod est in fine supra a nobis adlegati distichi. Fama fames omnino dicenda est, si tenuissimam velis nominis auram, quam vulgus spirat, quam usque avidè captat stirps asinina.*

*Hæc, PRAESTANTISSIME NOBILIORVM MVSA-  
RVM CVLTOR, TVI meique animi laxandi causa scripsi. Mu-  
fas nostras liberaliores ab illiberalioribus sui ludibrio non nun-  
quam recreari, haud alienum esse censemus. Sunt vero, quæ dedi,  
aliqua tantum particula fatiræ illius, quam post GEDEONEM  
HARVEVM Medicis asininis præcipue dicavi, fusiusque alia  
prosecuturus sum opportunitate. Nosti ipsemet, & præclare qui-  
dem nosti, quas velim Musas, sale PLAVTINO heic perfrietas.  
Hisce oppono TVAS, ut harum adspectu illæ erubescant. Quanto  
TVAE TIBI sunt decori, tanto simul istis sunt dedecori. Pluri-  
bus id dicere nil attinet. Me enim vel tacente, ipsæmet TVAE,  
quas LIPSIAE, quas nos inter aliosque EXTEROS coluisti,  
Musæ, non adulterinæ, numquam pigræ, semper vegetæ, ubique  
liberales, de sedula, ipsis navata, opera testimonium perhibent locu-  
pletissimum. Docuerunt id in utroque, priori æque ac rigoro-  
fiori,*





fiori, sui inter nos examine. Condocebunt id propediem publice in cathedra nostra inaugurali, TIBI sibi que in ea tuendis adfatim suffecturæ, hocque modo una comprobaturæ, TE illarum adquiescere, & meo ibi carere potuisse præsidio, nisi, quo minus sine præside compareres, sola obstitisset modestia. Idem illud denique luculenter comprobabunt proxime laribus TVIS patriis. Ad hos itaque, illis comitibus, redux, pedissequam habebis famam, non famem, laudem, immo gloriam, mox ibi futurus patriæ civis, bonis omnibus expectatissimus, valetudinis civium custos vigilantissimus, dexterrimus, Parentum Filius exoptatissimus, pignus dulcissimum. Hanc, cujus iam retro dux eras, viam felicissima porro praxi commonstra Fratri TVO, quem nobis relinquis, quemque TVA legisse vestigia, pænitebit nunquam. Ecce! quem sub auspicia studiorum TVORVM jam egi vatem, eum nunc quoque ago, TVA fretus in rebus agendis dexteritate morumque probitate, nec, præsagam hanc spem fallacem fore, augurans, eo, quo me TIBI semper addictum devinctumque habuisti, animo vale TIBI dico, TEque omni felicitatis ac prosperitatis genere cumulatissimum esse jubeo.

Dabam e Museo


d. 25. Jan.

1758.





*Fig. I.*



*Fig. II.*



*Fig. III.*





